



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola VIII. Gregorii Papae I. Ad Ianvarivm Episcopvm Calaritanvm. De
Theodosia religiosa, & monasterio construendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

que Canonum statuta committi. Quarum rerum frequen-
tes querelas, quia diutius tolerare nullatenus potuimus,
Columbo fratri & coepiscopo nostro, de cuius grauitate
ipsa eius quæ percrebuit dubitare iam nos non permittit
opinio, commisimus perquirendas. Quamobrem paterno
salutantes affectu, hortamur excellentiam vestram, in
cunctis quæ ad ecclesiasticam correptionem pertinent,
vestri robur ei subrogetis auxilii, ne si quod male geritur
quæsitum vel vindicatum non fuerit, longorum vsurpa-
tione temporum cum maiori licentia in futuris crescat ex-
cessibus. Scito autem, excellentissime fili, si victorias quæ-
ritis, si de commissæ vobis prouinciæ securitate tractatis,
nihil vobis magis aliud ad hoc proficere, quam zelari sa-
cerdotum vitas, & intestina ecclesiarum, quantum possi-
bile est, bella compefcere.

EPISTOLA VIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD IANVARIVM EPISCOPVM CALARITANVM.

De Theodosia religiosa, & monasterio construendo.

Gregorius Ianuario episcopo Calaritano Sardinie.

THEODOSIA religiosa femina in construendo mona-
sterio voluntatem Stephani quondam viri sui com-
plere desiderans, petiit a nobis, vt ad fraternitatem tuam
nostras transmitteremus epistolas, quibus per commen-
dationem nostram tuum facilius mereretur auxilium. Af-
ferit siquidem hoc a suo coniuge constitutum, vt in præ-
dio, quod appellatur Piscenas, quod ad xenodochi Tho-
mæ quondam episcopi iura peruenit, monasterium con-
strui debuisset. Quia igitur in alienis hoc fundare rebus, li-
cet possessor permitteret, Dominus tamen videtur cum
ratione refugere; petitionem eius præuidimus annuen-
dam, id est, vt in domo iuris sui, quam Calaris asserit se ha-
bere, ancillarum Dei monasterium debeat Domino adiu-
uante construere. Sed quia prædictam domum suam dicit
ab hospitibus atque superuenientibus onerari, hortamur
fraternitatem tuam, vt studeas ei in cunctis concurrere,
deuotionique eius tuæ præbeas tuitionis auxilium, vt mer-
cedis defuncti, atque eius studii, tuus te concursus faciat

& sollicitudo participem. Reliquias vero, quas ibidem postulat collocandas, volumus vt a fraternitate tua sub debita veneratione condantur.

EPISTOLA IX.
GREGORII PAPÆ I.
AD EVMDEM.

De monasteriis ancillarum Dei, & de Concilio episcoporum. de seruis & ancillis Iudæorum. & quod presbyteri baptizatos infantes in frontibus signare non debeant, sed semel in pectore tangere, & episcopi in fronte.

Gregorius Ianuario episcopo Calaritano.

SATIS quidem te ipse pastoralis zelus instigare debuerat, vt gregem, quem susceperas, etiam sine nostro solatio salubriter ac provide tuereris, & a callidis inimicorum surreptionibus eum diligenti circumspectione seruares. Sed quia caritatem tuam pro suæ firmitatis augmento, nostræ quoque pagina auctoritatis indigere comperimus, necessarium nobis fuit titubantes animos tuos ad religiosi vigoris studium fraternæ dilectionis exhortatione firmare. Peruenit siquidem ad nos minus te monasteriis ancillarum Dei in Sardinia sitis ruitionis impendere: & cum dispositum a tuis prudenter fuisset decessoribus, vt quidam de clero probati viri curam gerentes, earum se necessitatibus adhiberent; nunc ita funditus esse neglectum, vt per publicas personas, pro tributis aliisque muniis ipsæ per se principaliter Deo dedicatæ feminæ compellantur subire, necessitatemque habeant pro supplendis fiscalibus per villas prædiaque discurrere, atque virilibus incompetentem se miscere negotiis. Quod malum fraternitas tua facili correctione remoueat, vt vnum probatum virum vita moribusque, cuius ætas atque locus nihil de se prauæ suspicionis iniiciat, solícite deputet, qui sic monasteriis ipsis cum Dei timore possit assistere, quatenus vltterius eis pro quibuslibet causis priuatis vel publicis extra venerabilia loca contra regulam vagari non liceat, sed quidquid pro his agendum est, per eum quem deputaueris, ra-

Ioan. diac.
lib. 4. c. 46.